



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Parallela Geographiae Veteris Et Novae**

**Briet, Philippe**

**Parisiis, 1649**

Nvm. 5. Religio.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13167**

tum maximè timendi cùm expirant. Iustitia apud eos nulla; cùm quis accusatur furti respondet se eâ re quam furatus est indignisse; tum Iudex, tu similiter furi rape cùm indigueris. Homicida omnibus bonis spoliatur; dat tamen ei iudex vilem equum, & arcum, monétque vt rem suam curet. Terram colere putant opus indignum homine: quid igitur agunt? expoliunt arma, expeditiones meditantur. Lacte equino libentiùs vtuntur, putant enim impinguare. Qui vinum biberit fustuario mulctatur. Numquam ad currum equos religant, sed boues; idque turpissimum iudicant. Aut in curribus degunt, aut in mapalibus raptim excitatis. Nemo vestis genus mutare audet, probè enim fustibus cæditur qui in alienum cultum degenerauerit. Adulterium punitur morte. Pueri Arabicè discunt, vt Alcoranum intelligant. Si sponsa aut sponsus non consummato matrimonio inoriuntur, ridiculis cerimoniis effertur. Terrâ mortuos suos obruunt, cùm plerique Tartari aliter eos sepeliant.

N V M. 5. *Religio.*

SI quam Religionem sequuntur Mahumeti sectæ addicti sunt, plerique enim Tartarorum Athei, omniâque ad voluptatem corporis referunt. Hic tamen plerique Christiani cum suo Episcopo, quorum duæ pulcherrimæ Ecclesiæ Caffæ. Hic etiam Armeni, & Iudæi suis legibus viuunt.

N V M. 6. *Politia.*

VNVS hic Princeps rerum potitur dictus *Kan*, seu *Han*, hoc est Rex, Latinè *Caganus*, aliter *Czar*, hoc est *Cæsar*, aut Imperator, cui semper adiicitur proprium nomen, hoc modo *Abdikiray Kan*. Is filium aut fratrem successorem eligit, quem *Galga* nominat. Qui orti sunt ex familiâ Regiâ dicuntur *Vlani*, filij Principis *Sultani*. Primum aiunt quidam vocatum esse *Lochtonem*, alij *Vlanum* quem ex virgine natum fabulantur. Solet hic Princeps educere equitum 120. millia, & *Circassis* aliisque vicinis coniunctus, 200. millia. Facile transmittunt fluuios equis suis, ad quorum caudas religant arborum ramos implexos, quibus supellectilem imponunt. Si latior fuerit amnis, aut æstuarium viliores mañant equos, & ex eorum

Hh ij